

canes intrare et aves assuetas post illos emittunt. Et ipsi ad invicem pressi vadunt reducendo illa silvestria ad unam pulcherrimam quæ in medio nemoris habetur planiciem, et sic in ea congregatur bestiarum silvestrium maxima multitudo, sicut sunt¹ leones, cervi, multaque alia tam varia quam diversa, quod ibi videtur maximus esse stupor. Unde tantus est rumor atque clamor avium et canum quos in illud nemus emiserunt quod unus non intelligit alterum; et cuncta illa silvestria tremunt clamore illo magno. Dum autem hæc silvestria sic sunt in illa planicie congregata, tunc Magnus Canis ascendit² super tres elephantes, et in illa silvestria quinque sagittas jacet, quas cum ejecerit tota societas sua hoc idem similiter facit. Et cum omnes suas jecerunt sagittas, quarum quælibet suum signum habet per quod una ab alia cognoscatur, tunc ille imperator magnus vocari facit *Syo*, id est immani (?) bestiis illis³ quas de nemore pepulerunt.⁴ Et statim bestiae illæ silvestres quæ ibi vivæ sunt demissæ intrant nemus. Ad alias autem interfectas cuncti barones accedunt accipientes sagittas, quas post illas emiserunt, nam eas bene cognoscunt cum illi inposuerunt sibi signum, unde unusquisque aliud silvestre habet quod sua percussit sagitta. Sic isto modo fit venacio sua.⁵

42. *De quatuor festis quæ tenet Canis Magnus.*

Quatuor magna festa in anno iste facit imperator; scilicet, festum Circumcisionis, ejusque Nativitatis diem,⁶ et sic de reliquis. Ad hæc festa convocat omnes barones hystiones omnesque de suâ parentelâ qui omnes ordinate ponuntur in festo. Maxime autem convocat omnes istos ad duo festa de istis, scilicet, ad festum Circumcisionis et ad festum diei Nativitatis suæ. Cum ad aliquod festum istorum sunt isti convocati, tunc accedunt barones cum coronis in capite ipso, imperatore in sua sede residente, sicut superius dictum est; et omnes barones in locis suis deputatis ordinate morantur. Diversimode autem isti sunt barones vestiti. Nam aliqui sunt vestiti de viridi,⁷ scilicet primi; secundi de sanguineo sunt induti; tercii vero de glauco sen zamno⁸ sunt vestiti. Omnes isti sunt in capite coronati, habentes in manu unam tabulam de dentibus elephantum albam, et singulos circulos aureos, bene uno semisse altos,⁹ stantesque in pedibus et silentium observantes. Circa istos morantur hystiones cum suis insignis et banderiis. In uno autem angulo cujusdam palatii magni manent philosophi omnes aspicientes et accedentes ad certas horas et puncta. Et cum occurrerit punctum vel hora quam ipsi philosophi petunt, unus clamat valenter et dicit, Debeat is inclinare nostro imperatori domino magno. Tunc omnes barones ter de capite dant in terra. Deinde ille idem exclamabit dicens, Vos surgite cuncti. Et statim ipsi surgunt. Ad alia etiam puncta iterum ipsi attendunt. Cum venit punctum, iterum ille clamabit dicens, Ponite vobis in auriculam digitum. Et faciunt. Et tunc statim dicet, Extrahite. Et obediunt iterum. Sicque modicum stabunt et dicent, Buratate farinam:¹⁰

¹ *Far.* boves silvestres; *Ven.* ursi.

² *Ven.* has better accedit.

³ *Ven.* Scio, id est misericordiam bestiis illis, &c. So in *Far.* *Marc.* *Syon.*

⁴ *Far.* repulerunt.

⁵ All much more concise in *Hak.* and *Mus.*

⁶ *Hak.* et *Mus.* coronationis et desponsationis.

⁷ *Ven.* de serico; *Ut.* de serico viridi.

⁸ *Ven.* zauno; *Far.* has tertii de croco; *Hak.* et *Mus.* de croceo.

⁹ *Ven.* latos.

¹⁰ *Far.* omits this.